

nensi et Absarensi, duobus aut tribus nobilibus viris nobiscum coasumptis, pro tribunali consedissemus, et tunc discretus vir Joannes Presbyter Ratych et Bel-lota, cives Civitatis Pagensis, in ipsorum ac totius insule eiusdem Pagensis personis, cum sufficientibus litteris procuratorijs eorundem, de medio ceterorum querulantium exurgentes, adversus nobiles et prudentes viros, Rectores, consilium et commune prefate civitatis Jadre cum gravi et urgenti querela exposuerunt per hunc modum etc. etc.

Nos itaque, qui officij nostri nobis commissi debito requirente ordine, quibusvis querulantibus in persona Serenit. R. justitiam et iudicium tenemur impartiri, matura, vna cum predictis D. D. Chrisogono Traguriensi et Joanne Nonensi Episcopis, Butcone et Paulo Comitibus Corbavie, et Joanne filio q. D. Nicolai Palatini, nec non Civitatum prescriptarum, aliisque universis dicte congregationis nostre proceribus nobilibus, ceterisque quam pluribus idoneis et circumspectis viris deliberatione, tractationibus et consiliis prehabito, ac de unanimi consensu, parili decreto et sanctione eorundem, premissarum partium propositionibus et iuribus per singula auditis et intellectis, odio favoreque quovis postposito, solum Deum habentes pre oculis, commisimus, et iudicavimus, vt prefata Insula Pagensis omnesque habitantes eiusdem, amodo deinceps temporibus perpetuis futuris, una cum singulis possessionibus, salvis hereditatibus et immobilibus, a predictis Jadrensibus, simul aut distinctim aut separatim hactenus possessis et servatis, alijs singulis vtilitatibus, et pertinentijs ejusdem, in ipsa insula Pagi scilicet habitis et existentibus, de dictorum Jadertinorum manibus, potestate, et dominio, libera, exempta, et absoluta habentur, et causa et rationibus preale-gatis, ipsam insulam Pagensem, dicta auctoritate predicti D. N. Regis, nobis in hac parte attributa, cetui universo et consortio ceterarum liberarum Civitatum Regalium Dalmatarum, coadunantes et aggregantes, dictis Jadrensibus, et ipsorum cuilibet heredibus, et universis posteritatibus eorundem, dicta auctoritate nobis concessa, silentium perpetuum imponentes et ascribentes superinde, ipsique Pagenses cum factis potentiarum prealegatis, vtpote hominum interemptionibus, igni, incendii, et combustionibus, virginum deflorationibus, ac sacrarum monialium et aliarum quamplurimarum Dominarum turpissimis dehonestationibus, universarumque rerum, et bonorum mobilium et immobilium, et thesauris tam eorundem, quam etiam dictorum monasteriorum, claustrorum, in eadem insula Pagi existentium, ablationibus, spoliationibus, et depredationibus, nec non injuriis, quas et que iidem Jadrenses in non observatione dictorum decretorum Regiorum incurrisse perhibentur, et alijs quibusvis per ipsos Jadrenses temerario ausu ipsis Pagensibus quovis modo illatis, perpetratis, et commissis in praesentia serenitatis Regie ac iudicio, decisioni, terminationi, conclusioni, Excelentie sue ac Prelatorum et Baronum suorum, statu in eodem nil in eisdem innovando et trans-grediendo, ipsis Pagensibus in prosecutione eorundem juris viam ad ipsam serenitatem Regiam ac Prelatos et Barones suos, seu ipsorum conspectum et presentiam in premissis agrediendis tutam liberam et securam relinquentes, harum nostrarum proprij majoris et Pontificalis Sigilli nostri defectum annullatis. Unde Sigilli appositi consignatarum testimonio litterarum Datum None die 24. Junij Anno Domini 1396.